









1778.

1. Brokes, Henricus : Selectae observationes forenses.
2. Brokes, Henricus : De processu in questione in iuris instantibus existente.
3. Budens, Christianus Gottlob : Programma : De feudis in Dominiis ad 2 F 3381. et 2 F. 80 ; quo . . .  
Gothicus Ernesti Kreuzler . . . dissertationem in ang . . .  
in dict.
4. Budens, Christian Gottlob : De operis Burgensis.
5. Enyan, Dr. Rudolphus, Facetus Decimus : De ratione operis  
in libro Dominico Werlendi . Programma, in ang. Pisa-  
tiorum Corli Cons. Vict. Packeri praemissum . . .
- 6<sup>o</sup> et 7<sup>o</sup>. Enyan, Dr. Rudolphus : De operis in labore peritudo  
negligentiam. 2 exempl.
7. Enyan, Dr. Rudolphus, Fac. iur. post-ocanus .  
Programma, in ang. Reputationis et Iuris. Ichkaff Horchis habende  
præmissum .

1748

8. Helsingius, Joannes Jacobus : De iustibus conferendis  
pacis.
9. Heimburgius, Dr. Corp : De spolio universitatis.
10. Heimburgius, Dr. Corp ; Fec. jus. post decano : Programma  
„Ie iudicato anomalo in clausula remota e appelle  
hunc rescripto ad ita conspicio“, Dissertationis inaug.  
Scholae Lutetiae Corneli Schmitthii . - - praemissa
- 11<sup>9<sup>st</sup></sup> Hoffmannus, Joannes ludens : De mortis Germanorum coerenti  
miserabilis accusatores. E Suerpl.
12. Palzicus, Christianus Fridericus : De divisione logica  
non semper per membra contradictoria opposita  
formandas.
13. Reventbergius, Lu. Tschlesius : De pignore in re aliena  
constituto ejusque effectibus diversis

1748.

14. Stockius, Dr. Krishnam: De lumenis humanis fabrica  
et fundamento lethaliitatis violentarum laeziat. visceris  
laesiorum.

15. Frantzen, Gottlieb Fridericus Amundus: De remedio  
aberrantium processuum justiciariorum.

Dre

pelle  
inay

ercenti

gig

onita

ne



*g. 33. num. 27.*

*1748,9*

*10*

DISSERTATIO  
IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE

**SPOLIO**  
**VNIVERSITATIS**  
*QVAM*  
DIVINIS AVSPICIIS

---

SUB PRAESIDIO  
**IO. CASP. HEIMBVRGII D.**  
CONS. AVL. SAX. IVR. CAN. PROF. CVR.  
PROV. ASSESSORIS NEG. NON FAC. IVR.  
ET SCABIN. COLLEG. ORDINARIL.  
FAC. IVR. H. T. DECANI.

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQE IVRE HONORES  
CONSEQUENDI

---

DIE XII. IVN. M D CC XLVIII.

---

H. L. Q. C.

ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

**GVILIELMVS ERNESTVS KREVSLER**  
IENENSIS.

---

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



IN VAGABUNDIS TARDIDIC  
DE DISSEMINATIO

# ANIVERSITATIS SPOLIO



A MONSIEUR  
MONSIEUR  
CHARLES ALEXANDRE  
KALB  
SEIGNEUR DE KALBSRIETH

ET CONSEILLER DE LA CHAMBRE DES  
FINANCES DE LA SERENISSIME MAISON  
DUCALE DE SAXE - WEIMAR.



# MONSIEUR,

L'accueil favorable dont Vous avez  
toujours honoré mon cher Pere, & la  
bonté avec laquelle Vous avez bien  
voulu recevoir mes très humbles  
obéissances, ont fait une impresion

( 3 toute

toute particulière sur mon esprit. Cela  
a été de beaucoup augmenté par la  
connoissance particulière qu'ont tant  
de gens de Votre merite personnel,  
& par les applaudissements univer-  
sels qui Vous font donnés dans l'exer-  
cice d'une charge importante, à la-  
quelle Vous faites un grand honneur.  
Tout le monde a connu la prudence  
singuliere de notre Serenissime Sou-  
verain de glorieuse memoire dans  
le choix de ceux qu'il prenoit à son  
service, & chacun fait de quelle ma-  
niere Vous avez répondu à ses loua-

bles

bles desseins. Vous me permettrez,  
MONSIEUR, d'ajouter à cela les  
louanges que Vous recevez de ceux  
qui ont le bonheur de Vous appro-  
cher; en effet Votre abord gracieux  
Vous gagne le cœur des Grands &  
des petits. Comme j'ai toujours sou-  
haité de faire éclatter ces sentiments  
de la haute estime que j'ai pour un  
homme si illustre, il me sera permis  
d'embrasser l'occasion qui se présente  
de la Dissertation inaugurale que je  
publie aujourd'hui. Agréez donc,  
MONSIEUR, qu'en Vous consacrant

ce

ce petit ouvrage, j'ose Vous assurer  
publiquement de mes tres humbles  
respect<sup>s</sup>, & Vous temoigner ma par-  
faite reconnoissance, & la profonde  
veneration avec laquelle je serai  
toute ma vie,

**MONSIEUR,**

Votre très humble, très obéissant  
& très respectueux serviteur.

GUILLAUME ERNESTE KREUSLER.



## Conspectus Dissertationis.

### I. DE DEIECTIONE VI FACTA.

§. I. II. III. IV. et V. Praetor de possessione et speciatim circa deiectionem de possessione rerum immobilium, incorporalium et mobilium, quatenus hae immobilium sunt accessiones, varia sanxit.

§. VI. VII. VIII. IX. X. et XI. Haec deiectionio iure naturali Pandectarum et Codicis est delictum, et quidem verum, in plerisque speciebus, magis ad priuatum, quam publicum crimen accedens, cuius deiicientes, mandatarii, mandantes et ratihabentes rei sunt.

§. XII. Obligat ad omne damnum deiecto farciendum.

§. XIII. et XIV. Ergo ad rem, de qua quis deiectus, cum fructibus perceptis et percipiendis nec non expensis, restituendam.

§. XV. et XVI. Deiectio a pluribus facta, iure naturali, singulos ad damni reparationem in solidum obstringit, eiusque alia est ratio, ac promissionis a pluribus factae.

§. XVII. et XVIII. Actionem tamen ius naturae tunc modo aduersus singulos in solidum largitur, si correli delicti soluendo non sunt.

§. XIX-XXVII. Quae doctrina, Romano iure, ex nonnullorum sententia, obtinet; aliis indistincte aduersus singulos actionem in solidum concedentibus, quibus nos adstipulamur.

## II. DE SPOLIO.

§. XXVIII. Descriptio spolii

§. XXIX. Spolium etiam sine dolo committi potest.

§. XXX. et XXXI. Iure Canonico est delictum. Cui non obstat, quod sine dolo spolium detur.

§. XXXII. Quæstio, an detur iure canonico spolium rei mobilis, quod ad theoriam, rectius negatur. Sed aliud usu fori obtinet.

§. XXXIII. Spolii deiicientes, mandantes, ratihabentes et rem a spoliatore recipientes rei sunt.

§. XXXIV. Spolium est verum crimen, priuato tamen delicto in multis casibus magis, quam publico simile.

§. XXXV. XXXVI. et XXXVII. Plures ergo si spolii quacunque ratione sunt participes, singuli ad sarcidendum damnum et consequenter ad restitutionem rei, cum fructibus

bus perceptis et percipiendis nec non expensis, in solidum, tenentur.

### III. DE SPOLIO VNIVERSITATIS.

§. XXXVIII. Vniuersitatis Descriptio.

§. XXXIX. Vniuersitas est societas ideoque personae vice fungitur.

§. XL. Varia igitur personae praedicata in eam cadunt.

§. XLI. Vniuersitas quidem est persona mystica, mente carens, ex qua caussa Vlpianus ipsi voluntatem negasse videtur.

§. XLII. Sed quia homines, quibus constat vniuersitas, mente sunt praediti, non sine ratione illi tribuitur voluntas.

§. XLIII. Igitur dolus in eam cadit.

§. XLIV. Nec non culpa.

§. XLV. Et consequenter delicti capax est.

§. XLVI. Si omnia vniuersitatis membra factum illicitum dolo vel culpa committunt, tota vniuersitas delicti rea fit.

§. XLVII. Si plerique de vniuersitate consulto animo patrandum aliquid per maiora decernunt, tota vniuersi-

tas delictum commisisse videtur. Sed verius est, eos modo delicti reos fieri, qui assensum praebuerunt.

§. XLVIII. Vniuersitas, si omnia eius membra in delictum consenserunt, ad damni reparationem recte conuenitur: non vero, si ex plurium suffragio crimen admissum; quamuis hos vno libello complecti, laesus non prohibeat.

§. XLIX. Spoliatus ab vniuersitate, ex omnium vniuersitatis membrorum consensu, aduersus singulos de damno in solidum iure agit. Plures ex vniuersitate si spolium admiserunt, aduersus singulos ex his, qui in crimen consenserunt, actione in solidum experiri, laesus non impeditur. Reliquos autem, qui se participes facti illiciti non fecerunt, nulla tenet actio.

§. L. Adduntur binae sententiae dissertationis argumentum illustrantes.



§. I. Quae



§. I.

**Q**uae de spolio iure Canonico  
praecipiuntur, ea magna ex  
parte iuri Quiritium originem  
debere, nemo inficiabitur.

Igitur ut Romanorum placita, quae ad disserta-  
tionis nostrae argumentum rite perquendum  
spectant, ante omnia expendamus, operaे pre-  
tium est.

§. II.

Quod varia facta, quae possidentium  
commodis officere queunt, suis praetor edictis

A com-

complexus sit, quodque ea, vt recte obseruat SIGONIVS a), iudicum cognitioni ordinarie non commiserit, sed sibi potius reseruauerit, res est satis nota ac perulgata.

### §. III.

Inter alia de rei immobilis possessione et vt eadem per vim deiectus restitueretur, speciatim cauit, prodiditque remedium, quod Digestorum iure b) interdictum, in Basilicis c) παραγγέλια, νόμιμα παραγγέλματα, in codice Theodosiano d) actio momenti et celeris reformatio- nis adpellatur. Et quidem ad rem immobilē et incorporelē, solo inherenterē, vt hoc interdictum vnicē pertineret, eundem voluisse ex L. I. D. de vi et vi arm. L. 9. §. I. eod. tit. satis liquet.

### §. IV.

- a) de iur. ant. pop. Rom. part. 2. cap. 16. SCHVLT. iurispr. antiuistin. in not. ad tit. 6. lib. 5. PAVLLI sent. in prooem. CVIA C. lib. 5. c. 17.
- b) Tit. D. de interd.
- c) Lib. 58. tit. 14.
- d) L. f. unde vi et L. 5. de den.

## §. IV.

Vnde quin deiectione de re mobili interdicto de vi et vi armata non contineatur, dubitandum non est. Certe *L. i. §. 6. D. de vi et vi arm.* res mobiles diserte eximuntur. *Illud utique in dubium non venit, inquit VLPIANVS,* dicta legge, interdictum hoc ad res mobiles non pertinere: nam ex causa furti, vel vi bonorum raptorum actio competit: potest ad exhibendum agi. Interdum duntaxat actioni iniuriarum locus est, videlicet si de naue aut vehiculo aut equo quis deiicitur, re a deiectore non abducta e).

## §. V.

Tenendum autem res etiam mobiles, sub certa visione, in hoc interdicto rebus annumerari immobilibus. Nimirum *VLPIANVS* legis antea dictae auctor docet f), res mobiles,

A 2                   quae

e) *PAVLLVS recept. sent. lib. 5. tit. 6. §. 5. et SCHVLTING iurispr. anteius. ad eund. WISSEN B. ad Pand. Disp. 23. lib. 43. §. 26.*

f) *L. i. §. 6. D. de vi et vi arm.*

quae in fundo domoue, de cuius possessione restituenda agitur, deiectionis tempore fuerunt, interdicto de vi et vi armata peti omnino posse. Rationem huius responsi reddere difficile non est. Quodsi enim de possessione soli et rerum mobilium, quae in illo sunt, simul et vno actu deiectus, illud interdicto vnde vi, has vero actione furti vel vi bonorum raptorum persequi iuberetur: certe id ab aequitate, qua quidem Praetoris hac in re prouidentia nititur, prorsus alienum foret. Siquidem plures actiones, in quibus idem procedendi ordo seruari nequit, plures non solum libellos, sed et plures probationes postulant. Fac ergo, quod de solo et rebus mobilibus, quae in illo deiectionis tempore fuerunt, vna actione experiri deiecto non liceat: sane ex vno facto pluribus actorum implicari litibus et sic sine causa onerari, oppido manifestum est. Quibus positis facile intel-

intelligitur, res mobiles, quae in solo deiectionis tempore fuerunt, e regula §pho (IV.) tradita iure meritoque eximi.

### §. VI.

An haec deiectioni naturali iure in numerum delictorum referatur? inquirendum. Et putem omnino: deiectione enim in tali facto consistit, quo quis possessorem re soli, propria expellit auctoritate et sic ea, quae ad magistratus officium et potestatem pertinent, sibi vindicat. Quemadmodum autem eiusmodi actus ad euentum ciuitatis nexum directo tendit: ita quin ad classem factorum illicitorum referatur, non est dubitandum.

### §. VII.

Digestorum iure deiectionem vi factam ad delicta referri, extra omnem dubitationis aleam positum est. Certe TRYPHONINVS g) vim, qua quis rei immobilis possessione expellitur,

A 3

litur,

g) L. 19. D. de vi et vi arm.

litur, *delictum h*), VLPIANVS eandem *facinus appellare et furto assimilare non dubitauit*. Nec praetereundum est, quod poenalis actio a Ictis Romanis iis, qui per vim deiecti sunt, adscribatur.

### §. VIII.

Idem dicendum de iure Codicis. Imperatores enim ea, quae Praetor sanxit, quaeque in Pandectis traduntur, haud immutarunt, sed edictis magistratum modo nonnulla addiderunt et varios ad casus, quos suis Praetor sanctionibus non complexus est, produxerunt. Constat enim ex legibus codicis, quod, ob quamcunque iniquam possessionis priuationem, licet ea sine vi facta sit, interdicto vnde vi locus relinquatur i).

### §. VIII.

Et quidem non solum is, qui suo deie-

cit

*h) L. 1. §. 45. D. de vi et vi arm. et L. 3. pr. D. eod.*

*i) L. 5. L. f. C. vnde vi L. f. C. de acquir. poss.*

cit nomine, sed et qui mandauit vel ratam habuit deiectionem vel mandatum de ea peragenda executus est, delicti reus iudicatur. Ex quo consequens est, deiecti arbitrio relinqu, si procurator iussu principalis aliquem deiecit, vtrum cum principali, an cum procuratore agere velit k).

### §. X.

Sed amplius indagandum, an deiectio de re soli veri delicti proprietates habeat? Et putem, eam omnino esse veri delicti speciem. Constat enim ea modo crimina, quae facto patrantur inconsulto, ad quasi delicta referri: at deiectio de rei immobilis possessione, plerumque ex proposito admittitur.

### §. XI.

Alia quaestio est, an deiectio de possessione

k) L. 1. §. 13. D. de vi et vi arm. STRYCK. VS. MOD.  
lib. 43. tit. 16. §. 1.

l) L. C. T. P. lib. 47. §. 8.

sione pro delicto publico haberi queat? Et sane dicendum, eam in multis speciebus delictis priuatis magis, quam publicis accedere: quoniam satisfactionis, laeso praestandae, in hoc crimen ratio maxime habetur.

§. XII.

Cum deiectione, vi facta, sit verum delictum (§. VI. VII. VIII. et X.) et omne damnum, facto illicito datum, naturali et ciuili iure, laeso sarciri debeat: consequens est, ut laeso, omne id quod eius ob deiectionem ab uno vel pluribus perfectam interest, praestandum sit.

§. XIII.

Non solum autem res, de qua quis deiectus est, sed etiam fructus reddi simul debent: idque non solum de fructibus, a litis contestatae tempore perceptis, sed etiam de iis, quos antea percepit vel percipere deiiciens potuisset, omni-

m) L. 173. §. 1. D. de R. 1. STRYCK. VS. MOD. lib.  
43. tit. 16. §. 3.

omnino dicendum est. Quem in modum inclyta facultas Iur. Ien., cum de leuteratione in caussa spolii, ob praetermissos fructus ante litem contestatam perceptos, interposita iudicandum esset, mense Martii anno 1746. pronuntiare non dubitauit.

#### §. XIV.

Ex eodem principio expensas quoque, quas de re soli deiectus, possessionis recuperandae caussa, facere debuit, deiiciens reddere iure condemnatur n).

#### §. XV.

At inquirendum, quousque ex pluribus, qui delictum admirerunt, quisque teneatur. Metiamur ante omnia hanc quaestione iure naturali. Vbi dicendum, ipso facto illicito in singulis obligationem ad omne id, quod laesi interest, praestandum radicari.

#### B

#### §. XVI.

n) RIVIN. tit. 36. enunt. 16.

## §. XVI.

Equidem in contractu ex pluribus, qui aliquid promiserunt, quisque pro rata modo obstringitur, quoniam a pacientibus arbitrio, vtrum cum uno, an cum pluribus contrahere velit, vnicice dependet. Qui ergo cum pluribus paciscitur, a singulis modo ratam sibi stipulari videtur. Alterum pro altero se obligare voluisse, res facti est, et sic ordinarie haud praesumitur. Nec sufficit stipulatorem intendisse, ut ex pluribus, quibuscum contrahitur, singuli in solidum sibi teneantur. Certe tale propositum, quod quis in mente retinuit, quodque eorum, qui pactio se obligant, consensu non probatur, nihil plane operari, rationis lumine docemur. Alia vero est delictorum conditio. Actus enim illiciti cum sine laesi consensu committantur; nec laesus suo arbitrio efficere possit, ut non a pluribus, qui in eum facinus committere intendant, sed ab uno saltem laedatur: ratio

tio sane, ex qua pluribus contrahentibus di-  
uisionis exceptio adscribitur, in iis, qui ad  
idem delictum concurrunt, prorsus exulat.  
Itaque ut ad singulos, qui turpe factum pa-  
trarunt, obligatio in solidum pertineat, ini-  
quum non est. A qua quidem necessitate  
animus se pro rata saltem obligandi eos li-  
berare minime valet. Siquidem intentio de-  
linquentis id nequaquam efficit, ut delictum  
obligatio, quae illi naturaliter inest, haud subse-  
quatur: cum in delictis qualitas obligationis  
minime ex voluntate se obligandi, sed ex facto  
potius, quo alteri nocitum est, deriuetur, et sic  
quoque is, qui alteri obstrictum se reddere mi-  
nime intendit, omnino valide obligetur.

## §. XVII.

Quae huic obligationi in laeso, naturali  
iure, respondeat potestas? iam dispiciamus.  
Sane distinguendum est, vtrum omnes eius-  
dem criminis rei soluendo sint, nec ne. In

B 2

prima

prima specie , laeso , ab uno ex pluribus , eodem criminis obligatis , omne id , quod eius iuterest , adeoque solidum petenti , aequitas naturalis minime suffragatur . Ad alteram vero speciem quod attinet , ab uno solidum laesus omnino consequitur , si reliqui , quo minus damni ratam praestent , ob inopiam impediuntur .

§. XVIII.

Cuius distinctionis ratio in eo consistit , quod , quando omnes correi soluendo sunt , ab uno solidum impetrare , laesi plane non intersit . Itaque correus , a quo nihilominus solidum obtainere laesus cupit , omnino habet , de quo conqueratur . Siquidem petitor eatenus , quatenus in hac specie solidi praestationem vrget , ipso factō prodit , quod non tam sua commoda persequi , quam vindictae studium exercere velit . Cui quidem animo ius naturale minime patrocinatur .

Quod si

Quodsi vero ex correis nonnulli damnum sarcire non valent: solidum ab uno correo praestari, laesi rationes postulant.

### §. XIX.

In quaestione, quale ius aduersus plures, qui ex delicto obligati sunt, secundum Romanorum placita, laeso competit, in diuersas sententias abeunt Icti. *Alii*, de re secundum iuris naturalis praecepta iudicantes, existimant plures eiusdem delicti participes, in solidum haud conueniri, sed diuisionis beneficio se tueri posse, si reliqui correi soluendo sunt o). *Alii* in laesi arbitrium conferunt, num a singulis, quos eodem obligationis vinculo sibi obligatos habet, solidum vel ratam exigere velit p).

### §. XX.

Qui beneficium diuisionis etiam in delictis obtinere tradunt, his rationibus vtuntur:

B 3

i) ex

o) CARPZOV. part. 2. dec. 190. num. 16. et seqq.

p) STRYCK. VS. M O D. lib. 9. tit. 2. §. 21.

1) ex autentica hoc ita. C. de duob. reis omnes correos debendi beneficio diuisionis gaudere , nisi huic expresse fuerit renunciatum ; 2) non adesse causam , cur idem delinquentibus correis invidendum sit ; 3) lege 82. D. proc. soc. eos modo , qui in societate legitime contracta constituti sunt, in solidum obligari, sed ad consequentiam id producendum non esse ; 4) speciale odium , ex quo receptum est , vt singuli fures in solidum teneantur q), secundum in dolem sanctionum poenalium proferri vltra verba legis non posse.

### §. XXI.

Verum enim uero, quod ad primam rationem attinet, instituti nostri ratio non fert, vt quaestione, an iis tantum, qui mutua fideiuissione obligati sunt, in auth. C. de duob. reis diuisionis beneficium adscribatur, plene dis putemus. Fingamus autem, quod hac au thentica

q) L. i. C. de condic. sirt.

thentica ad mutuos fideiussores exceptio diuisonis restricta non sit: tamen inde non colligitur, ad eos etiam, quorum obligatio est ex delicto, id beneficium pertinere. Quae ex aequitate, intuitu correorum debendi, ex contractu in solidum obligatorum, obtinent, ea minus recte accommodantur correis, qui ex delicto conueniuntur. Fallitur ergo CARPZOVIVS, quando putat, non adesse rationem, cur authent. Cod. de duob. reis in delictis locum haud inueniat. Ipsum delictum, ut opinor, est principium adaequatum, ex quo delinquentibus beneficium diuisonis negare, imperantibus integrum est. Ex quibus liquet, etiam secundam affirmantium rationem spho praeced. adductam sua firmitate destitui.

### §. XXII.

In tertia ratione a CARPZOVIO in dubium vocatur, an ex L. 82. d. pro socio ad plures, qui ex eodem delicto sunt obligati, argumentum

mentum duci queat. Cum autem praeter C A R P Z O V I V M : per pauci beneficium diuisio-  
nis , pluribus ex eodem delicto obliga-  
tis , dictae legis auctoritate , euincere satagant  
et nos quoque consequentiam , quam ille sibi  
obstare fingit , nostram non faciamus : certe  
huic tertiae rationi immorari , opus superua-  
caneum esse censemus.

## §. XXIII.

*Quarta ratio* , qua C A R P Z O V I V S vtitur ,  
ex sanctionum poenalium conditione desumpta  
et sic speciosa est . Sed qui rite intue-  
tur argumentandi modum , quem ille ele-  
git , de falsitate ratiocinii facile conuinci-  
tur . Siquidem regula iuris , leges poenales  
non esse extendendas , ad eas modo sanctio-  
nes pertinet , quibus noua poena praescribi-  
tur . At vero L . I . C . de cond . furt . pro tali pla-  
cito minime haberi potest : cum ab Imperato-  
ribus id , quod in aliis quoque delictis obti-  
net ,

net, ad crimen furti modo applicetur. Quodsi CARPZOVIVS in authentica , de qua supra iam diximus, beneficium omnibus omnino correis debendi commune contineri, probatum dedisset, huic argumento, ex L. i. C. de coond. furt. desumto, valorem tribuere non dubitarem. Cum vero illa thesis nec probata sit nec probari vñquam queat : certe hoc CARPZOVII principium parum roboris habere, perspicuum est.

#### §. XXIV.

Solidis ergo rationibus vti sententia eorum destituitur , qui aduersus singulos delicti reos pro rata saltem agendi potestatem laesis permittunt : ita nunc de fundamentis contrariae sententiae statuendum.

#### §. XXV.

Et fateor quidem regulam generalem,  
qua in actione ex delicto rei persecutoria singuli

C correi

correi solidum praestare diserte iuberentur, legibus non reperiri. Sed ideo vadimonium deserendum non est. Siquidem ea, quae per argumenta rite formata ex legibus inferuntur, eundem cum expressa legislatoris voluntate valorem habere, satis constat. Videamus igitur fundamenta, ex quibus eiusmodi probatio peti potest. Nimirum *primo* actiones ex delicto ciuiles siue mere poenales siue mixtae sint, aduersus singulos correos delicti in solidum competere, ex legibus *r*) manifestum est. *Secundo*, quod institutis ex metu, dolo et furto actionibus rei persecutorii a singulis facti illiciti reis solidum actor consequatur, legibus diserte cauetur *s*). *Tertio* exceptio

*r*) *L.* 12. §. 2. *ad L. Aquil.* *L.* 1. §. 10. & 14. *D.* *si quadr.*  
*paup.* *fec.* *dic.* *L.* 1. §. *ult.* *L.* 1. *L.* 3. *L.* 4. *L.* 5. *pr.*  
*§.* *de his qui effuet p.* *deiec.* *L.* 34. *D.* *de iniur.* *L.* 7.  
*§.* *vlt.* *L.* 8. *D.* *de iurisd.* *L.* 9. §. 1. *D.* *de cond.* *furt.*

*s*) *L.* 1. *C.* *de cond.* *furt.* *L.* 14. §. *ult.* *D.* *quod meo.* *caus.*  
*L.* 17. *D.* *de dol.* *mal.* *HVB.* *ad Dig.* *tit.* *quod met.*  
*caus.* §. 4. *WISSEN.* *ad Pand.* *disp.* 13. *thes.* 17.

tio diuisionis est species beneficiorum iuris, quibus dolo contaminati plane indigni iure iudicantur. Exemplo nobis sunt minores, mulieres pro aliis se suave bona obligantes, filii familias mutuum pecuniae contrahentes, debitores ad beneficium competentiae prouocantes, domini quadrupedis ex pauperie conuenti, qui quidem, si de dolo ab iis admisso constat, a beneficiis, quae variis legibus illis indulta sunt, prorsus excluduntur t). Quarto de fideiussoribus constat, quod, quando fideiussionem dolose inficiantur, beneficio diuisionis omnino excidant. Quinto aequitatem diuisionis, quam ius naturale, si omnes correi soluendo sunt, admittit, Romanum ius nullibi expresse agnoscit, sed potius sexto multa in odium eorum, qui se delicto contaminant, statuta complectitur.

## C 2

## §. XXVI.

t) L. 37. §. 1. D. de min. L. 1. §. 3. D. de SC. Vell. L. 1.  
ad SC. Maced. L. 1. §. 15. D. si quadr. paup. fec. die.  
STRV. ad tit. pro socio §. 37. LAVT. coll. theor.  
pract. lib. 46. tit. 1. §. 48.

## §. XXVI.

Quibus praemissis concludimus, eum, qui a pluribus de possessione deiectus est, singulis in solidum actionem intendere, Romano iure haud prohiberi.

## §. XXVII.

Varia haec tenus Romanorum placita ad deiectionem vi factam directa spectauimus: iam proprietates spolii ut contemplemur, ordo scriptionis nostrae postulat.

## §. XXVIII.

*Spolium* est actus, quo possessio aliena siue rei immobilis siue iuris, quocunque modo, interueritur.

## §. XXIX.

Vt Spolium dolo malo fiat, ab eius indeole alienum non est. Sed id quaeri dignum, an a spolio dolus plane abesse non queat? Et videtur quidem dicendum, spolium sine dolo nequa-

nequaquam committi, quoniam spoliator possessionem interuertit alienam, adeoque alterum ex proposito possessione depellit. Verum vti dolus in nocendi proposito consistit u), ad deiectionem autem laedendi animus non praecise requiritur x): ita dubium non est, quin fieri possit, vt absque dolo spolium committatur. Ad deiectionem enim de possessione qui prosiliunt, eos haud raro quidem dolo, sed interdum etiam errore, culpa, vel temeraria praesumtione ad tale commoueri propositum, experientia edocemur.

### §. XXX.

Sed an spolium in numerum delictorum iure Canonico referri queat, nunc indagandum. Nos id adfirmare nulli dubitamus. Enimuero deiectio de possessione, naturali et

C 3

Roma-

u) *L. 1. §. 2. D. de dol. mal.*

x) ZIEGLER *de resp. spol. cap. 4. §. 1. et seq. CARPOV.*

*lib. 1. resp. 3. num. 3. ILL. BOEHM. part. 1. consult.*

*172. n. 14.*

Romano iure est delictum (§. VI-X), Pontifices autem ex legibus Romanis omnem fere spolii doctrinam, quam suis sanctionibus proposuerunt, hausisse eandemque variis et praesertim ecclesiasticis caussis admouisse, exploratum est y). Et praeterea illos factorum licitorum numero spolium adscripsisse, neque textu expresso neque argumento, ex Pontificum placitis desumpto, euincitur. Quin potius contrarium ex iuris canonici textibus et in primis ex c. 18. saepe de rest. spol. satis elucet, ubi etiam eos, qui spolii consciit sunt, de re restituenda teneri, sancitum est.

### §. XXXI.

Cui non obest, quod dolus cum spolio non semper coniunctus sit (§. XXIX.): si quidem delicta, quae culpa patrantur, dari iisdemque delinquentes obligari, certi et explorati

y) ILL. BOEHM. in iur. eccl. Prot. lib. 2. tit. 13. §. 2.  
ZIEGL. in comm. ad c. red. cap. 4. §. 8.

rati iuris est z). Qui enim rem alienam, suam esse putans, alteri eripit, a dolo quidem vacius est, sed nihilominus rapinae criminis reus iudicatur. In doctrina damni iniuria dati similis concurrit decisio. Quamuis enim sola artis imperitia vel alia culpa quis alteri nocuerit: tamen ex lege Aquilia conuentus laeso omne damnum sarcire iubetur a).

### §. XXXII.

Quod iuris Canonici sanctiones, de spolio non solum ad res immobiles et incorporeales, sed etiam ad res mobiles porrigendae sint, ZIEGLERVS b), solidis suffultus rationibus, recte negat; alii in contrariam sententiam eunt atque ius ciuale et canonicum, quod ad res mobiles attinet, omnino differre existimant. Nos illius sententiae calculum

z) §. 1. I. de vi bon. rapt.

a) §. 3. I. de leg. Aquil. L. 44. pr. D. ad L. Aquil.

b) in comment. ad c. redintegr. 3. qu. 1. cap. 6. §. 2. ILL.

BOEHM. in iur. eccles. Protest. lib. 2. tit. 13. §. 2.

merito adiicimus : quamuis ysu fori adfir-  
mantium opinionem inualuisse , testentur Prag-  
matici c).

### §. XXXIII.

Ex iis, quae (§. VIII. et XXX.) dicta  
sunt, recte infertur, eos, qui factum deie-  
ctionis vel ipsi admiserunt vel mandarunt vel  
ratum habuerunt vel rem a spoliatore rece-  
perunt, spolii reos fieri d).

### §. XXXIV.

Porro ex (§. X. et XXX.) elucet, spolium  
veri omnino criminis esse speciem et, si de  
eius qualitate ex effectibus, quos plerumque  
producit, iudicatur, cum priuato maiorem,  
quam cum publico delicto habere affinita-  
tem (§. XI. et XXX.).

### §. XXXV.

Ad damni reparationem omnes , qui  
vel

c) ZIEGLERVS cit. loc. §. 4.

d) c. 15. et 18. X. de rest. spol. HENR. LINCK. ad decret  
lib. 2. tit. 13. §. 3.

vel spolium ipsi admiserunt, vel eius aliquo modo se fecerunt participes, obligari, ex (§. XII. XXX. et XXXIII.) perspicuum est.

### §. XXXVI.

Et quidem ex (§. XIII. et XXX.) liquet, ad rem, cum expensis et fructibus ante et post litem contestatam perceptis, nec non percipiendis, restituendam omnes, qui deiectionis aliqua ratione sunt participes, omnino teneri.

### §. XXXVII.

Ex pluribus, qui spolium admiserunt, laeso, quemcunque velit, conuenire, ius fasque est: spolium enim est delictum, actionem autem ex facto illico rei persecutoriam aduersus singulos in solidum recte intentari, (§. XXVI. et XXX.) docuimus.

### §. XXXVIII.

Series dicendorum nos dicit ad doctrinam

D

nam

nam de *vniuersitate*, quae nobis est coetus sub certo regimine, permisso publico, consociatus e).

### §. XXXIX.

Cum vniuersitas sit coetus consociatus (§. praec.) et consequenter societas, pronoalueo fluit, eam vice personae fungi. Difserre hanc vniuersitati adsignare qualitatem non dubitat FLORENTINVS f).

### §. XL.

Varia igitur in vniuersitatem cadunt praedicata, quae in personas conueniunt. Quae quidem omnia plene discutere vti ab instituto nostro alienum foret: ita modo, an vniuersitas delicti capax sit, inuestigabimus. Quod quidem vt rite fiat, ante omnia inquirendum, num vniuersitati voluntas recte adscribatur.

### §. XLI.

e) HVB. de iur. ciuit. lib. u. sed. 3. cap. 1. §. 14. ID. in  
praelect. ad Pand. lib. 3. tit. 4. §. 1.

f) Lib. 8. Instit. 1. 22. D. de fidei;

## §. XLI.

Equidem vniuersitas nec animum habet nec corpus, sed iuris nomen est, nec in sensus incurrit, et saltem intelligitur ac mysticis personis annumeratur. Ex qua causa VLPIANVS actus, qui a voluntate proficiscuntur, vniuersitati negasse videtur g).

## §. XLII.

Verum enimvero tametsi vniuersitas corpus et mentem non habeat: voluntas tamen illi minus recte negatur. Qui ex eo, quod homini corpus et mentem habenti voluntas adscribitur, sibi persuadent et concludunt, capax ad recipiendam voluntatem in vniuersitate subiectum non dari, non rite ratiocinantur. Variis enim representationibus membra, quibus vniuersitas constat, ad aliquid agendum vel omittendum inclinari, non est dubitandum. Nihil autem impedit, quo

D 2                   minus

g) L. 15. §. 1. D. de dol. mal.

minus plurium in eandem rem consensus pro vna voluntate reputetur et sic vniuersitas velle dicatur.

### §. XLIII.

Dolus consistit in actu, quo quis alteri damnum inferre intendit h). Quemadmodum autem voluntas est talis affectio, quae ab vniuersitate haud aliena est (§. praec.): ita dolum quoque in vniuersitatem conuenire, facile intelligitur.

### §. XLIV.

Nec minus culpa, in facto quippe inconsulto consistens i), ad actus voluntatis pertinet, ideoque committi ab vniuersitate culpam posse, exploratum est (§. XLII.).

### §. XLV.

Si dolus ad factum, quod iure nostro illici-

h) L. 15. §. D. de dol. mal.

i) L. 31. D. ad L. Aquil.

illicitum dicitur, directus est, vel factum culpa  
patratus illicitum, prodit actio, quae deli-  
ctum vocatur. Cum ergo vniuersitas doli  
omnino capax sit (§. XLIII.): eam delinquere  
posse, nemo sane dubitabit.

### §. XLVI.

Et quidem si omnia vniuersitatis mem-  
bra factum committere illicitum decernunt,  
idque postea patratur: delicti omnino ream-  
fieri totam vniuersitatem, extra dubium po-  
situm est k). Idemque dicendum, si omnes,  
temeraria prae sumptione moti, facta per se il-  
licita suscipiunt.

### §. XLVII.

At grauior quaestio est, an vniuersitas  
sit delicti rea, si plerique de vniuersitate praes-  
entes consulto animo patrandum aliquid per  
maiora decernunt? Certe veri specie non

D 3 pror-

k) L. 9. §. 1. D. quod met. caus. GVNDLING. diff. de  
vniuersit. delinq. §. 13.

prorsus destituuntur, qui facinus, a pluribus ex vniuersitate perpetratum, delictum totius coetus esse existimant. Siquidem in vniuersitate si omnium consensus haberi non potest, secundum plurium suffragia de negotiis communibus statuitur, idque decretum a minori parte ratihaberi debet. Quo minus enim in idem consentiant omnes, dissentendi studium, quod naturalis hominis ad dissentendum facilitas iure nostro vocatur <sup>1)</sup>, aliaeque permultae rationes, in quas ex professo inquirere consilii nostri ratio non fert, haud raro impediunt. Vniuersitatem igitur eam volendi et nolendi rationem eligere oportet, quae quidem apta est, vt tametsi aliquot dissentiant, communis salus, quam enixe exoptat et cupit vniuersitas, certo obtineatur. Aliud autem hac in re medium non datur, quam vt minoris partis iudicium cunctorum sociorum voluntas videatur, atque, contradicente licet minori parte, effectui detur.

1) L. 17. §. 6. de rec. qui arb. rec.

tur. Verum enim uero, quamuis in iis spe-  
ciebus, vbi facta licita sustinet vniuersitas,  
plurium ex vniuersitate consensus pro omnium  
voluntate reputetur: rectius tamen putem eos  
rationes subducere, qui crimen, a pluribus  
ex societate admissum, vniuersitatis delictum  
esse, inficiantur. Cuius asserti ratio haud ob-  
scura est. Vniuersitas enim est societas (§.  
XXXIX.), quae in eum semper finem insti-  
tuitur, ut communis sociorum utilitas obti-  
neatur. In societatem ergo qui coeunt, ideo  
certe, ut flagitiis operam dent, haud con-  
iunguntur. Multo minus vero simile est, singu-  
los socios in id consentire, ut facto illicito, a  
pluribus admisso, ipsis obligentur et litibus de  
delicto, in quod non conspirarunt, quodque  
nec ratum habuerunt, subiiciantur.

### §. XLVIII.

Vniuersitas delictum perpetrare, eoque  
obligari potest (§. XLV.). Cum vero spolium

fit

sit delicti species et ex delicto ad damni reparationem delinquentes teneantur, consequens est, ut vniuersitas de spolio, si id admisit, respondere omnino teneatur. Et quidem si omnes de vniuersitate in crimen conspirant, actionem toti vniuersitati intendere, laeso integrum est (§. XLVI.). Quodsi autem plerique saltem in delictum consenserunt, actio aduersus totam vniuersitatem minus recte instituitur: quamuis nihil impedit, quo minus illi, quorum suffragiis delictum perpetratum est, uno libello convenientur de facto, et iniuste suscepto, respondere iubantur.

#### §. XLIX.

Quae hactenus disputauimus, ea nos dubitare non sinunt, ex spolio, quod ab omnibus vniuersitatis membris commissum est, singulos in solidum recte conueniri. Deiectione autem, a pluribus ex vniuersitate admissa, aduersus singulos ex iis modo, qui in spolium consenserunt, actione in solidum experiri, deicto

iecto integrum est. Ostendimus enim naturali, Romano et Canonico iure ex delicto, quod a pluribus patratur, singulos ad damni reparationem obstringi (§. VI. XII. et XXX.). Porro monstrauimus, iure naturali quidem a singulis, si correi soluendo sunt, pro rata modo damnum esse sarcinandum (§. XVII.): iure Romano autem, quamvis correi damnum pro rata sarcire valeant, deieicto, quo minus in solidum aduersus singulos experiatur deiicientes, nihil plane obstat (§. XXV. et XXVI.) Docuimus quoque inter Canonici et Romani iuris praecepta discrimen, quod ad hanc quaestione attinet, minime versari (§. XXX. et XXXV.)

## §. L.

Fateor quidem thema, quod expendere ingressus sum, multas adhuc quaestiones, accurata contemplatione dignas, omnino continere. Sed ut finem scribendi faciam, variae rationes postulant. Interea  
E binas

binas sententias, quas Exc. Praef. mecum communicauit, quaeque princeps dissertationis nostrae argumentum probe illustrant, dictis subiungere, non inutile erit.

#### FACTI SPECIES.

**I**n pago quodam agricola vniuersitati, cuius membrum erat, pensiones nonnullas, a se petitas, praestare recusauit. Haec vt ad solutionem eundem compelleret, de frugibus, ex illius agro auferendis, consilium cepit, idque executa est. Quo facto, ille actionem duobus vniuersitatis membris intendit. Demonstratione et remonstracione peracta, sequens fertur sententia:

Dass Klaeger dasjenige, so ihm zu bescheinigen auferlegt und er sich angemaset, zur Nothurst bey-

ge-

gebracht, derowegen er bey der libellirten Possess vel  
quasi derer z. Aecker zu schützen, Beklagter aber sel-  
bigen den am 26ten Sept. 1731. weggenommenen Ha-  
fer, vermittelst einer eydlichen Specification, auszu-  
antworten, oder dessen rechten Werth, so wohl alle  
veruhrsachte Schaeden und Unkosten, nach vorge-  
hender deren liquidation und richterlicher Ermaesigung,  
zu erstatten schuldig V. R. W.

Quam quidem sententiam cum reus per remedium  
leuterationis impugnasset, positionibus ad acta relatis,  
caussaque ad INCL. FAC. IVR. IEN. transmissa,  
hunc in modum pronuntiatum est:

Dass es, der eingewandten Leuterung ungeach-  
tet, bey dem, am 16ten Iul. des 1740ten Jahres eröfne-  
ten und fol. act. 329. et seq. befindlichen, Urthel billich  
verbleibet. V. R. W.

## RATIONES DECIDENDI.

Ob wohl die, vom Zeugen NN, laut Rot. sub num. 2. fol. act. 164, ad art. 7. 8. 9. 10. 11. et 13. erstattete Ausage, als ob beide Imploraten der Gemeinde, den gehauenen Hafer auf dem Felde wegzunehmen, anbefohlen und besonders, dass sie Manns davor waeren, gesagt haetten, um deswillen an ihrer Wahrscheinlichkeit vieles verlehret, weil die testes in dem Rot. sub L. act. 181., dass dieser Zeuge bey der Sache nicht mit gewesen, auch dasienige, was, des eingeklagten facti halber, ergangen, weder mit angehoeret, noch gesehen haben, deponiret; hiernechst der test. 1. ad art. 4. et 5. in dem rot. sub 4. zwar, wasmasen Imploraten die Wegnehmung vorgeschlagen haetten, erzehlet, iedoch aber dabey, dass das factum selbst mit der Gemeinde Willen und gutem Vorbewusst geschehen, auch die Gemeinde es schon laengst willens gewesen fey, versichert; so wohl dieser Aussage in eben dem

dem Zeugniß - rotulo test. 2. beytrit , und dar-  
neben verschiedene Zeugen , daß diese Hinweg-  
nehmung ein factum vniuersitatis sey , zu behaupten  
suchen ; nicht minder test. 1. ad art. 6. in rot. sub.  
num. 5. fol. act. 283. anzuführen weifs , daß der  
Ammann , als er wegen dieser Sache um Rath ge-  
fraget worden , wie die Gemeinde von denen Früch-  
ten sich bezahlt machen könnte , zur Antwort gege-  
ben habe ; und solchergestalt caussa fatua , quae a  
dolo liberat , vorhanden zu seyn scheinet ; außer-  
dem ausgemachten Rechtens , daß in caussa vniuer-  
sitatis die actiones rei persecutoriae nicht gegen ein-  
zelne membra vniuersitatis , sondern wieder die gan-  
ze Gemeinde angestellet werden müssen , aliud enim  
est vniuersitas , aliud singuli de vniuersitate ;

L. 10. §. 4. D. de in ius voc. CARPZ. L. III.

*tit. 9. resp. 9. 3. num. 2.*

aus diesen Gründen aber , daß Imploraten , da sie ,  
dieses Spolium angegeben zu haben , nicht auf sich  
kommen lassen , sondern vielmehr , daß die Weg-  
führung des Hafers ein factum totius vniuersitatis  
sey , bestaendig vrgiret , zur restitutione Spolii kei-

E 3

nes-

nesweges alleine vertheilet, und hingegen Implorant an die gantze Gemeinde verwiesen, mithin die vorige Erkaentniß reformiret werden sollen, es das Ansehen gewinnen möchte:

D. a. u. d. Imploraten selbst in ihrem fol. act. 6. befindlichen Schreiben, die von Imploranten libellirte Wegnehmung vor ein Factum vniuersitatis ausgegeben; und test. 1. et 2. ad art. 4. 5. et 7. rot. sub 24. fol. act. 222. et sequ., dass die Gemeinde den Hafer wegzuführen schon laengst Willens gewesen und solches mit der Gemeinde guten Vorbewusst geschehen sey, deponiret, auch ad art. 10. dass die gantze Gemeinde an der Hinwegführung des Hafers Schuld waere, angeführt; nicht minder test. 2. art. 7. rot. sub num. 5. fol. act. 283. sich vernehmen laest, was masen die gantze Gemeinde zusammengekommen und darein, dass die in Frage gekommene Früchte weggenommen und so lange, bis Implorant das Dienstgeld bezahlet, innebehalten werden solten, gewilliget haette; mithin Imploraten, ob sie gleich, dass sie Uhr.

Uhrhebere der beschehenen Hinwegführung gewesen, nicht überführēt sind, iedoch, als membra vniuersitatis, das, von der gantzen Gemeinde unternommene und von ihnen selbst pro facto totius vniuersitatis ausgebene, factum zu praestiren schuldig sind, in mehreren betracht das Spolium, quod etiam ab vniuersitate committi potest,

Cothm. part. 2. resp. 60. num. 60.  
als ein delictum anzusehen ist;

L. I. §. 43. ff. de vi et vi arm.

und also die daraus entstehende actio, qua spoliatus damnum persequitur, so wohl wieder die gantze Gemeinde, als auch gegen singulos statt findet;

WERNER. part. 10. obs. 257. num. 3. et sequ.

COCCII conf. illūstr. 44. n. 110. et sequ.

ex delicto enim singuli in solidum conueniri queunt  
arg. L. I. C. de cond. furt.; dabey auch, dass der Amtmann N N., als er um Rath gefraget worden, dass die Gemeinde den Hafer hinwegführen könnte, dafürgehalten, und also der dolus hier zu erman-geln scheinet, denen Imploraten nicht zu statten

kömmmt,

kömmmt, indem der deiiciens auch ob deiectionem culpa commissam belanget werden kan; neque enim ad Spolium dolus requiritur, cum etiam errantes spoliare possint.

**ILL. BOEHM.** i. part. consult. 172. n. 14. und solchergestalt hinlaengliche Gründe, in Erwegung deren man die Imploraten mit der ihnen auf erlegten restitution verschonen, Imploranten aber an die gantze Gemeinde verweisen könnte, nicht vorhanden sind:

So ist demnach, wie im Urthel enthalten, billich erkannt worden.

### F I N I S.



CONSVENTISSIMO, AC PRAECLARE  
DOCTO DOMINO DOCTORANDO,  
ADFINI SVO PLVRIMVM COLENDO,

S. D. P.

IOANNES CHRISTOPHORVS  
TANNENBERGER, M. D.

**Q**VANDO iuuenes in vitae curriculo magna semper spectant, et ad ea rectis studiis contendunt, non solum ostendunt indolem rite nutritam sub faustis penetralibus, ac insitam naturae et pectoris bene nati vim, adiutam et erectam, vti ac in maius meliusue prouectam recta educatione, nec non institutione, sed etiam remoti ab inani laude et sermonibus vulgi ea studiose sequuntur, ex quibus vera gloria nascitur, et ob quae semper quam ornatissima bonorum honestorumque virorum intercedunt iudicia. Sic suae vitae expressam imaginem in aliis illustribus personis et effictos mores vident, quarum magnarum virtutum memoriam sacram esse reputant, et quarum simulacra suis ingenii dotibus et animi artibus perpetuo imitari omne adhibent studium. Tali modo stimulis generosae mentes trahuntur, et gloria maxime ducuntur, quo laboribus suis tantam concilient mercedem, quae non cum vitae tempore est dimittenda, sed cum omni posteritate adaequanda.

F

IN

IN hanc sententiam scriberem adhuc plura, nisi  
 TE, ADFINIS PLVRIMVM COLENDE,  
 tua sponte satis incitatum esse plane confiderem, et  
 quicquid attigi, non feci inflammandi tui caussa, sed  
 quia omnia in TE, ac quasi in centro, collineant, te-  
 stificandi amoris mei gratia. Studiis enim recte in-  
 cubuisti, animi corporis fortunae ac educationis  
 dotibus ornatus fuisti, sub exercitatissimis ac grauis-  
 simis ducibus desiderium omnium alacri TVO inge-  
 nio ac solertia vici, nihil itaque restat, quam ut  
 artibus ac disciplinis TIBI hucusque acceptis nouas  
 laudes compares, et plurimorum sociorum et ciuium  
 conspectum in TE conuertas, quando omnibus de-  
 bilitatis et extinc*tis* dissentientium argumentis victo-  
 rem TE fistis, et virtutis ac gloriae praemia inde  
 reportas. Gaude TVO isto tam excellenti et splen-  
 dido bono, dignitate nimirum Doctorali, fruere hoc  
 cum fortuna et gloria ad longam annorum seriem,  
 uberrimos porridge fructus illis, qui TE desiderant  
 Doctorem, aut caussae patronum, vt inde in TE  
 redundant magni honores, illustre nomen, ac opi-  
 mae opes, nouissime cognosce me TVAE fortunae  
 honoris aut laudis sincerum cultorem. VALE, a. d.  
 X. Iunii, CICICCCXLVIII.

V I R O

NOBILISSIMO CONSULTISSIMO DOCTISSIMO

GVILIELMO ERNESTO KREVSLERO

IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.


IOANNES CHRISTIANVS FISCHERV,

Inter felicitatem humanam non minimam esse credo, si parentibus non solum obtingunt liberi ad meliorem mentem geniti, sed etiam in litteris bene educati: Hi enim parentibus tot laetitiae suppedant argumenta, quot diligentiae fructus & praemia ipsi fertunt & colligunt. Quare genitores iure meritoque hoc in praecipua ponunt laude & pro haud exigua felicitatis suae reputant parte, si videant ex se natos, in quibus non solum eorum senatus placide quiescere sed etiam ipsa posteritas eorum virtutem & meritum intueri & mirari possit. Huius felicitatis iam particeps factus est Vir virtutis ac meritorum laude cumulatissimus cuius ars ac prudentia iam dudum non solum eum commendauit magnis Principibus, sed & iis redditum carum, omnibus vero iucundum. Meritisimum intelligo KREVSLERVM nostrum, qui exultans incedit nunc omnibus laetitias & inuisitatas prae se fert animi voluptratem, quam concepit ex dignitate, ad quam filium ad maiora natum hodie videt adspireare, SIBI, clarissimaeque Familiae nouum addi decus et ornamentum, immo quandam artificiose indui immortalitatem. Laetitia TVIS Vir spectatissime, & mea nunc iungo gaudia et vera, TIBIQUE de FILII summis in iure honoribus ex merito obtentis ex animo gratulor. Deus TIBI et TVAE virtuti der annos, ut eam bono publico, familiae TVAE ornamento adhuc diu exercere in litteris autem a TE tam bene educatis videre possis in dies maiora ac laetiora. Sed quid de TE Candidate praestantisime dicam, aut quid omnino non dicam, me fere latet, hodierno die, quo in scenam prodis, ascendis exedram, & praecclare exequaris, quae illustris Iurisconsultorum ordo TVVS, et nos omnes exspectavimus.

mus. Noui ingenium **TVVM**, novi animum ad maiora bene praeparatum, novi denique **TE** non illotis accessisse manibus ad Themidis sacra, sed ea attulisse subfida quae yiam paeſtruant ad solidorem iuris scientiam, maioraque pollicentur, quam cruda studia, quae hodie umbratrici Doctores in scholas et forum protrudunt, et quibus tam auditores quam clientes miserrime decipiunt. Laudarem **TE** nunc Canditatem Ornatisime, Fautor et Amice aestumatisime; sed cum virtus **TV A TE** supra omnem ponat laudem, mea etiam plane non indiges laude. Hoc vnum de **TE** aut potius de me praedicabo, **TE** ex mea prodiisse schola, quam, sicut tuo olim condecorasti studio et plausu, nunc etiam publice ornare haud definis, sed felici conatu pergis. Incredibile dictu, quam immenso animus meus hac de re cumuletur gaudio, quanta eum occupet laetitia, quam magna perfuerat voluptate. Tanta laetitia perfusa et excitata mens mea gesit nunc Tibi obuiam ire gratulatione, et laetitiam ex dignitatis supremo gradu, qui Tibi conceditur ab illustri ordine **TVO**, conceptam publice testari, et **TIBI** quaevis precari secunda et propria. Age dum paeſtantissime Candidate, et in stadio doctrinae et virtutis, quod semel es ingressus strenue decurre, et cum genua nunc tibi vireant, auge pertinaci industria, et paeſclare taetis, opera, quae aeternitatem merentur, et quam diutissime tam litterarum quam saeculi nostri exorna gloriam. Dabam e musaeo  
 die V. mensis Iunii A. S. R. cl. Io cc xxxviii.







Jena, Diss., 1748 (1)



56.







DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup>  
IN AVGVRALIS IVRIDICA 1748,9  
DE 10  
**SPOLIO**  
**VNIVERSITATIS**  
QVAM  
DIVINIS AVSPICIIS  
SVB PRAESIDIO  
**IO. CASP. HEIMBVRGII D.**  
CONS. AVL. SAX. IVR. CAN. PROF. CVR.  
PROV. ASSESSORIS NEC. NON FAC. IVR.  
ET SCABIN. COLLEG. ORDINARIIL.  
FAC. IVR. H. T. DECANI.  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQE IVRE HONORES  
CONSEQUENDI  
DIE XII. IVN. M D CC XLVIII.  
H. L. Q. C.  
ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**GVILIELMVS ERNESTVS KREVSLER**  
IENENSIS.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE